



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sect. I. An Deus sit obiectum materiale, & adæquatum Charitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)



TRACTATUS

TERTIVS

DE CHARITATE.



QVONIAM charitatis acceptio multiplex est, tum in sacra pagina, tum apud Theologos, potiores hic recensere oportet: ut quæ huius loci sit propria seligamus. Primò enim sumitur pro ipso Deo, prout est obiectum amoris benevolentia, iuxta illud 1. Ioan.

4. *Deus charitas est, qui manet in charitate, in Deo manet.* Secundò pro actu dilectionis, vel Dei erga nos, iuxta illud Heremias 31. *In charitate perpetua dilexi te, vel nostri erga Deum.* & hæc acceptio communior est, & magis huius loci propria, & in ea charitatem definit Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 10. cum dicit *charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se, atque proximum propter Deum.* Tertiò tandem sumitur pro habitu supernaturali, qui est virtus

Theologalis, voluntatem elevans, & inclinans ad amandum Deum, amore benevolentia supernaturali, quæ est maxime propria charitatis acceptio: de ea enim præcipuè Theologi disputant, & in eo sensu passim eam usurpavit D. Paulus 1. Corinthiorum 13. *Nunc autem manent tria hæc, &c. Maior autem horum charitas:* & Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.*

De charitate ergo, iuxta traditas acceptiones, post fidem, & spem, differunt Theologi cum Magistro in 3. à distinct. 27. vsque ad 37. Sed copiosius, & accuratius D. Thom. 2. 2. à quæst. 23. vsque ad 44. non quia merito sit, aut perfectione inferior, cum Apostolus eam cæteris præferat, *Maior horum charitas*, sed quia generatione posterior. Nam sicut generationem præit alteratio, sic fidei, & spei motus hominem disponunt ad iustitiam, iuxta Tridentinum. Sess. 6. cap. 7. *Quæ iustitia, vel in charitate ipsa consistit, vel certè, quod omninò probabilius credo, charitas illius est præcipua affectio, ut in materia de Gratia dictum est.*

DISPUTATIO I.

De obiecto materiali, & formali Charitatis:

PRIMA huius tractatus disputatio est de obiecto, quia in ordine ad illud charitas speciem accipit. Et ab aliis virtutibus distinguitur. Obiectum verò primò dividit D. Thomas 2. 2. questione 1. articulo 1. in formale, & materiale, tanquam in duas partes vnam integram rationem obiecti specificantis constantes. Vtrumque hic explicabimus: sed prius materiale, quia sicut ordine naturæ forma in composito Phisico, vel artificiali materiam supponit: illiusque potentialitatem seu indifferentiam ad certam speciem determinat, sic formale obiectum, materiale, ad hoc, ut speciem tribuat alicui specialis virtuti.

SECTIO I.

An Deus sit obiectum materiale, & adequatum charitatis:

Sicut materiale obiectum cuiusque virtutis Theologi communiter diuidunt in principale, seu primarium: in minus principale, seu secundarium: Suarez de Charitate.

& in adequatum, quod ex utroque constatur; sic & charitatis obiectum, de quo in præsentia. Quale verò hoc obiectum sit, & quæ illius partes, persequentes conclusiones explicabimus.

1. Dico ergo primò. Deus est primum, & præcipuum obiectum charitatis. Romanorum quinclo. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris* 1. Ioan. 2. qui servat verbum eius, id est Christi, in hoc charitas Dei perfecta est. Quibus locis, ac similibus iuxta Augustinum de spiritu, & lit. cap. 32. & vnanimem consensum, quem etiam aperte supponit Trident. sess. 6. capite 17. *Charitas Dei* usurpatur, non solum quia à Deo nobis infunditur, sed præcipue, quia ad illum terminatur. Ratione etiam probatur, quia illud est primum obiectum materiale charitatis, in quo primario relucet ipsum formale, quod est bonum divinum, ut docet D. Thom. 2. 2. quæst. 23. art. 1. & cæteri Theologi communiter: tale autem bonum in Deo relucet per essentiam, ac adeò primariò: ergo, &c.

2. Dico secundò. Præter Deum etiam proximus ad materiale obiectum charitatis spectat. Est de fide. *de 1. Ioan. 4. Si diligimus invicem, charitas eius in nobis est.* Ratio est, quia proximus est quid Dei, particeps beatitudinis eius; ad perfectam autem amicitiam spectat non solum diligere eum, eum quo primariò,

Kk 2

marit, & per se amicitia contrahitur, sed etiam ratione illius ea, quæ ad ipsum spectant, ut amicos, filios, &c.

3. Quæres tamen, quid intelligatur nomine proximi? Respondetur: per se omnis rationalis creatura, quæ est capax beatitudinis. Ita Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana cap. 23. 26. & 30. Et alij Patres, qui licet specialiter loquantur de hominibus, extendi id etiam potest ad Angelos, ut Dicitur Thom. 2. 2. q. 25. art. 10. docet, & alij Theologi in 3. dist. 28. & merito, quia est eadem omnino ratio: de inimicis diligendis infra dist. 5. sect. 5. Adde, nomine proximi, intelligi etiam Christum, ut hominem, quia ut sit est eiusdem naturæ nobiscum, & consors eiusdem beatitudinis, quod notant sancti in parabola Samaritani, Luc. 10. Et Doctores in 4. distinctione prima.

Obiectio 1. 4. Dices: ergo ipse homo diligens se computandus est inter proximos diligendos, quod videtur falsum, quia homo non est sibi proximus, & Gregorius homilia 17. in Euangel. ait charitatem in alium rendere, ut charitas esse possit. Secundo peccatores, & demones continebuntur sub hoc obiecto.

Secunda. Respondetur ad primum, concedendo si perfectè se homo diligit propter Deum, imò post Deum, magis circa hoc obiectum charitatem esse, quam circa alia: cum verò Gregorius dicit charitatem rendere in alium, intelligendus est prout habet rationem

propriam amicitie, & versatur circa primum obiectum, cum quo hæc amicitia contrahitur, in quo est neganda differentia inter diuinam amicitiam, & humanam: nam etsi amicitia humana velit bonum amico propter ipsum: tamen homo non se diligit propter amicum, neq. amor sui manat ex amore amici: quin potius hic amor supponit illum, & per illum quodam modo regulatur: nam debemus diligere amicos, sicut nos ipsos, at diuina amicitia per se primò tendit in Deum, & inde reflectitur in amantem, & propterea hic amor est charitatis: & amicitie, etiam si sit amor sui: amor enim sui, qui ex propria commoditate nascitur, ad amorem concupiscentie spectat, at ille, qui nascitur ex amore Dei, ad charitatem spectat, ut docet Dicitur Thomas 2. 2. quæst. 25. art. 4.

Ad secundam objectionem peccatores etiam viatores esse proximos. Quid de damnatis, Respondetur: An sit idem de reprobis, qui nondum pervenerunt ad illum statum. Respondetur, in particulari, & ablata omni speciali revelatione, etsi sciamus inter viatores quosdam esse reprobos, quosdam prædestinatos, omnes tamen absolute esse diligendos ex charitate: quia nescimus, qui sint reprobi, & absolute omnes possunt saluari. Tamen loquendo in communi, impossibile est charitatem ita amare reprobos, ut absolute velit illis beatitudinem, quia iudicatur impossibile, eos eam assequi: & quanvis hoc non sit impossibile simpliciter, sed facta suppositione: tamen iam apprehenduntur sub illa. Et idem est, si de aliquo in particulari fieret revelatio, & certum esset eam revelationem esse absolutam: quia non posset quis licite petere, aut desiderare contrarium actu absoluto: illud enim esset dubitare de certitudine revelationis: posset tamen in hoc casu diligi reprobos ex charitate ad ea bona, quæ non pugnant cum reprobatione, ut est vitare multa peccata, &c. Quo modo D. Thom. 1. parte, quæst. 113. artic. 4. ad tertium dicit Antichristum habiturum Angelum custodem, qui illum à peccatis reuocet, quantum possit, etsi sciat illum fore damnandum.

6. Dico tertio. Non solum secundum animam, sed etiam secundum corpus potest homo esse materiale obiectum charitatis: ita Dicitur Thomas 2. 2. quæst. 25. artic. 5. & quæst. 26. artic. 5. Ratio est, quia corpus humanum est aliquo modo capax bonorum supernaturalium. Item est pars proximæ charitatis amati, ut instrumentum bonorum operum. Unde ulterius fit, quod sicut aliter est homo capax beatitudinis ratione animæ aliter ratione corporis: ita diuerso modo est amabilis ratione animæ, & ratione corporis: ratione animæ primario, ratione corporis secundario. Hinc obiter colligitur aliter diligi corpus ex charitate, aliter sensuali amore, & aliter à iustis, & aliter à peccatoribus: nam illi amant corpus ad bona supernaturalia: hi ad infima. Unde illi magis diligunt corpus dum illud affligunt, & docent rationi obedire: nam hoc ipsum melius est, non solum homini, sed etiam corpori: at verò in malo peccatores plus diligunt se, & corpora, quam iusti, quia illi suum finem ultimum in se amando constituunt.

7. Dico quarto. Bona supernaturalia etiam pertinent ad materiam charitatis, non ut id, quod diligitur tanquam amicus, sed ut bonum maximum, quod amico diligitur. Ratio est, qui cum hæc bona non sint personæ, sunt autem maximæ perfectiones eorum, qui ratione videntur, non sunt diligibilia priori, sed posteriori modo. Dices: ergo amare sibi beatitudinem, & charitatem pertinet ad charitatem, ergo & amare sibi Deum: at hoc est falsum, quia hoc pertinet ad amorem concupiscentie? Respondetur hæc omnia esse obiecta materialia charitatis, & concupiscentie, tamen diuerso modo: nam si quis amet suam iustitiam, & charitatem, &c. non primario, & propter se, seu per se, & propter suum commodum, sed propter Deum, & eius gloriam, sic est amor charitatis: si verò primario suam charitatem respiciat, est amor concupiscentie.

8. Dico quinto. Omnes res aliz irracionales, & inanimatæ, & si non sint obiecta charitatis, tanquam bona per se amabilia, sunt tamen aliquo modo obiecta charitatis, tanquam bona, quæ amicis ex charitate diliguntur. Prioris partis probatio sumenda est ex priori præcedentis assertionis. Ratio posterioris est, quia omne quod est bonum proximi, & ad eius beatitudinem conferre potest, potest ex motu supernaturali illi amari: huiusmodi autem sunt omnes res de quibus loquimur. Contra hanc conclusionem videtur sentire Bonaventura in 3. distinct. 28. art. 1. q. 2. dicens has res posse amari amore imperato à charitate, non elicto, sed non video, quo fundamento nitatur.

9. Dico ultimo. Etsi hæc omnia pertineant ad obiectum materiale charitatis, & ideo obiectum adæquatum dici possit bonum supernaturale amabile ex amicitia: tamen etiam Deus ipse potest dici convenienter materiale obiectum adæquatum charitatis: hæc conclusio explicanda est ad modum alterius similis posita in materia de fide. Nam in primis materia habitus dici potest omne id, in quo versatur habitus sub ratione formali sua, & hoc modo procedit prima pars. Secundo potest etiam dici adæquatum obiectum res illa, propter quam est primò, & per se habitus, & ad quam referuntur omnia, circa quæ versatur habitus, & huiusmodi est Deus in virtute charitatis, ut per se constet, & ex dicendis patebit.